

tentia dixit. Itaq; certum mihi fuit, quamlibet potius temeritatis, importunitatis, imprudentiæ notam subire, quàm non aliquo quo liceret munusculo, & debitum Majestatis Tuæ piæ gratulationis officium peragere, & Augustum studiis meis patrociniū conciliare. Cùm autem eo ipso fere temporis articulo hic De imperio Romano scriptor non aspernabilis, meâ operâ absolutus exiret; vir ille, ut genere nobilis, ita doctrina pro ævo minimè vulgaris; & de argumento agens ut propriè tuo, ita majoribus tuis jam olim prædedicato: facile intellexi, non esse mihi porrò, quid factò sit opus, diutius deliberandum. Eum igitur bonâ fortunâ repertum, & pro copia ornatum, Sacratissime Caesar, vestigiis tuis humillimè ad-volutus adduco & sisto: utq; benignâ manu acceptum, oculisq; leviter delibatum, in Augusta Bibliotheca parte, qua mereri videbitur, reconditum as-servari jubeas, eius vicem supplex oro & obtestor. Quod si impetra-vero, nã ille supra modum fœlix, at-que adeo beatior meo judicio fuerit, quàm cum olim primitus Divo Friderico III. Imp. atavo tuo, in-clyta recordationis, opus suum addixit & inscripsit. Nam postea nescio qua fortuna iniquitate suppres-

):(ij